

**Illud Romanorum  
feliciter licebit  
hoc die hac hora  
usurpare. cum vir  
consul...**

Preutz, Friderich Nilsson  
von,

*1 Ic Fol.*



National Library  
of Sweden

ILLUD ROMANORUM  
**FELICITER**  
 LICEBIT  
 HOC DIE HAC HORA  
 USURPARE:  
 CUM  
*VIR CONSULTIS, AC AMPLISSIMUS*  
**DN. MATTHIAS SUEDERUS**  
 ADPLAUDENTIBUS OMNIBUS BONIS  
 JURIS PROFESSIONEM ORDINARIAM  
 IN REGIA ACADEMIA ABOENSI  
 BENIGNO SIDERE  
 CAPESSIT.

---

Excusum Aboæ à JOHANNÉ Winter die 16 Novemb.  
 Anno 1686.





**N**ter dona illa praeclara, quae ex Divinis tam splendidis palatiis per Prometheum delapsa finxerant Poetae, haud scio, an ulla sint, quae Majestatis suae pondus aequae tueantur, atque illa sapientia pars quae Jurisprudencia adpellatur: quamobrem à sapientissimis omnium ferme seculorum viris tanto conatu tamque egregia animorum contentione, non tantum fideliter exculta, sed ad id fastigium perducta est, ut post S. sacram nihil in hac vita sublimius inveniri posse videatur: Sermonis hujus certissimum habebit experimentum, quisquis mentis oculum è caeno barbaria elevat, ut ad Divini istius muneris Justitiae praeclaram indolem contemplandam eum attollat: Haec equidem illa facultas est, quae totam virtutum moralium coronam suo complectitur ambitu, hujus doctrinae studiosissimum qui sese declaraverit, is sane, sapientum judicio, ne reliquis scientiis, huic arctissimo vinculo associatis ac connexis, bellum indicere aequum judicet, nisi gigantea fretus audacia, cum natura honesti manus conserere gestiat. Unde à Celeberrimis praeceptorum temporum Viris, insignibus putatur stipata elogiis ( etsi hujus ea sit natura dignitas, quae doctorum plerorumque suffragio, seipsam tantis efferat, commendatque laudibus, ut quavis externa praeconia facillime respuat ) Haec profecto illa est quam vitae ducem, normam Civitatum, legumque condendarum regulam Cicero appellavit: haec est, quae quid à privatis, quid ab iis, qui imperia gubernant praestari debeat, edocet, quae singulos privatim, & publice totas civitates conservat, atque ( ut uno verbo omnia complectar ) haec illa est, quae quomodo tum belli tum pacis tempora cuique moderanda sint praescribit. Tantos Juris prudentia fructus largitur, tot inde commoda resultant. Nec vero existimandum est, Platonem ceterosque veterum illorum sapientissimos per Philosophiam cui summum in Republica locum assignarunt, cui clavum dederunt, aliam praeter hanc intellexisse. Licet enim scientiae reliquae quae aut in differendi subtilitate, aut perverstigandis rerum naturalium causis occupantur, difficili atque sublimi abditarum abstrusarumque rerum cognitione suspicienda sint: dubium tamen nullum est, quin Juris prudentia in vita communi tanto fructuosior cognitio sit, & perniciosior ignorantia, quod ex firmissimis legis naturae rectaeque rationis deducta fontibus: ex quam plurimorum, ac pene innumerabilium exemplorum, quae certior omnis aevi historia suppeditat, summorum ac prudentissimorum testimonio comprobata: & quod primo ponendum esset loco, indubitatis verbi Divini oraculis corroborata est. Nec inscite volunt sapientes conficta voce nuncupatam iri Virginem, Jovis filiam, cui sua sit deputata mansio in caelo inter Libram & Leonem, ut argumento esset suis fautoribus quod ejus causa, ab aliis, tam fortes, quam aequitatis rigidi censors & praesides salutarentur. Haec dum altius perpenderit animus ingenti sane gaudio perfunditur; nempe florebit justitia; stabiliuntur regna, dum ad institutionem juventutis admoventur eruditione, prudentia Celeberrimi. Gratulor universo Regno de talibus viris exaggerata sane sapientia imbutis: superbit Finlandia tali decore, gaudet universus doctorum chorus tam corrusco splendore. Latantur singuli, exoptant fausta Viro Consultiss. Dn. MATTHIAE SVEDERO in illustri ad Auram Academia Professore designato, Meritissimo, felici omine publicum munus hodie auspicatoro. Gratulor Tibi Excellentiss. Dn. Professor quod tanta felicitate vastissimum literarum pelagum terrasque omni memoria digissimas permensus es, ut properantem cursum suavi sed perniciosissima Sirenium modulatione inhiberi non siveris: non Te allegerunt deliciae seculi & quicquid sub specioso vanitatum sirmate jactant, virtutis quae destituuntur fulcro: non avocarunt inania novercantis fortuna terriculamenta, sed ut virtutis est per ardua eniti, ita multo sudore, multis exantlatis laboribus, ac denuo repetitis vigiliis sub Musarum vexillo strenue militasti: quae etiam pro labore quem sustinuvisti impigro, dignam quam Te consecuturum solertia Tua dudum promisit, dedere mercedem. Vive itaque Deo, Regi, Regno, nobis denique omnibus quam diutissime superstes solitoque favore amplectere.

Nominis Tui sedulum aestimatorem.  
FRED. von Preuß.

Sic Numinis supremi lucet providentia,  
Et universi Septentrionis augetur gloria,  
Et studiosæ juventutis adcrevit vigilantia.

Quando

Hujus Academiae Palatia  
Illa doctrinarum Tempa atque Emporia,  
Illa magnarum animarum candida Palladia,  
Illud æternitatis grande Capitolium

Illustrant Viri

Virtutibus incliti & doctrina memorabiles:

Fama integri & experientia nobiles:

Magnarum rerum tractationibus adsveti:

Iraqve

Triumphat Aquilo

Cum

In gremium suum accipit

A Regia majestate determinatum,

A Senatu hoc amplissimo unice electum,

Ab omnibus eruditis sincere approbatum

Consultissimum

DN. MATTHIAM SVEDERUM;

Quem

Juris & æqui accurata scientia,  
Gravitas morum & vetustus candor,  
Doctrinæ ubertas & lingvarum notitia  
Longe lateqve commendant.

Hactenus

Tabulas legum cum tot commentariis,  
Justitiæ anfractus & illa volumina,  
Concentum speculationis cum praxi  
penetravit:

Hactenus

Europæ statum & Regum molimina,  
Urbium habitum & Gentium consilia,  
Consuetudinem doctorum & leges Lycei  
Per curiosam peregrinationem  
vidit & examinavit.

Sed jam

Tempus & fata postulant

Ut THESAURUS

Tanta fide, labore & sudoribus

Collectus

In gloriam Dei, Regis & Regni,

In usum multorum desiderantium,

In juventutis, & orbis literati commodum

Publicetur.

Proinde

Ut felix hoc magnæ expectationis *auspicium*

Ab hac hora solennia exordia,

A sequentibus diebus lætissima omina,

Ab annis in annos majora incrementa

Capiant

DEUM

DEUM IMMORTALEM  
Statorem hujus Regiæ Academiæ,  
Nostrorum studiorum Governatorem,  
Nostrum Defensorem & Sanctitatem  
Devota mente adoramus,

Velit

PROFESSOREM EXCELLENTISSIMUM,  
Magnorum virorum collegam dignissimum,  
Universitatis honorem & fidem  
Omni benedictione

Cumulare,

Ita vovent senes

Ita implorant viri

Ita optant juvenes

Ita desiderant pueruli!

Illo

Canticorum omnium longe latissimo

PLAUDITE !

Debiti officii declarandi causa adposuit

JOHANNES FORTHELIUS.

*Gevaliensis*

